

Glossæ relata amplectitur. Simon de Preæis de interpretatione ultimarum voluntatum, lib. 3. solut. 11. ex n. 51. usque ad num. 58. fol. 154. Menochium in cons. 95. n. 56. lib. 1. §. in cons. 205. in princ. §. num. 39. §. seqq. lib. 3. §. in cons. 318. ex n. 5. lib. 4. Anton. Ciofi. in cons. 142. ex num. 8. Crassum receptorum sententiarum, §. fideicommissum, quest. 15. n. 4. §. 5. Cephalum in cons. 413. lib. 3. Cavalcanum decis. 36. part. 2. Mantiam de conjecturis ultimarum voluntatum, lib. 8. tit. 11. n. 8. §. 9. fol. 343. Hippolyt. Riminald. in cons. 786. num. 27. 28. §. 29. lib. 7. Villaguttam decis. 4. num. 34. §. 35. Cævallos practic. commun. quest. 541. qui prædictos non refert, & sententiam dictæ Glossæ veriorē putat, Camillum Gallinium de verborum significatione, lib. 8. cap. 26. à principio usque ad num. 13. fol. 213. Marcum Antonium Peregrinum, & Angelum Matheacium; qui hac de re erunt videndi omnino; ille, de fideicommissis, art. 26. ex num. 23. usque ad num. 31. fol. 249. iste de legatis §. fideicommissis, lib. 2. quest. 11. per totam, fol. 79. §. 80. Extant autem ex diametro contrarii Authores ii duo in resolutione hujus materiæ, Peregrinus enim, loco prædicto, in primis ex num. 23. cum seqq. diversas, contrariarumque sententias refert, & nonnulla dicit; tandem num. 30. suam sententiam interponit, & firmat, quod perpendit diutius hoc negotio, verum credit, foemina ex masculo natam, dici de descendibus virilis sexus, à sensu virili, per virilem, de virili, & ex virili, & sic quoque à de, & ex linea masculina, vel per lineam masculinam, idque ex juribus citatis in initio hujus capituli, & textu in §. item vetustas. Institut. de hereditatibus que ab intestato. cum aliis; & latius fundat ipse dict. num. 23. usque ad num. 28. Attamen in concessionibus, & substitutionibus fideicommissariis, non facile consentiendum esse, quod foemina contineatur, quia de foeminis non videtur disponere cogitasse, nisi ad illarum exclusionem; & quia cum descendentes ab illis dubio procul excludantur, efficax videtur insurgere ratio, ut etiam foemina illorum auctrix excludatur, per duas rationes, quas ibidem adducit, in effectu resolvens, quod in proposito casu ex mente disponentis, significatio nominis restringenda sit ad masculos ex masculis descendentes, sic ut non veniat foemina, in qua finitur descendencia virilis sexus, & incipit sexus foemininus, quæ sententia si vera sit in fideicommissis (in quibus ipse loquitur) fortius procedere debet in majoratibus etiam simpliciter institutis; & consequenter Molinæ opinio in Hispanorum primogeniis (de qua agetur infra) non mediocriter comprobari poterit: ut etiam comprobatur

10 ex dictis per Simonem de Præis de interpretatione ultimarum voluntatum. lib. 3. dicta solut. 11. n. 54. & 55. fol. 154. ubi Socini sententiam amplectitur is Author, & secunde probat, foeminam natam ex masculo, non contineri in linea masculina, quando descendentes per lineam masculinam vocantur: & reddit rationem, quia in tali casu foemina non est in tali linea, cum faciat novam lineam; quod etiam tenent alii plures, opinionis Socini sequaces, ut constat ex eisdem Authoribus, & aliis relatis supra in initio hujus capituli.

11 Verum enim verò, quando constare non potest aperte, testatorem voluisse agnationem suam conservare, vel agnationis conservandæ gratia qualitatem lineæ masculinæ adjectisse, & foeminas excludere voluisse, negari non potest, quin Peregrini, & sequacium resolutioni obstant permuta, quæ contrariæ partis Authores fortiter ponderarunt; nec hujus sequaces diluant concludenter: quod ex eisdem Authoribus relatis supra negari non potest. Item ex his, quæ adducit Mantica de conject.

12 ult. volunt. lib. 8. tit. 18. Deinde, & fortiter in contrarium urgent nonnulla, quæ & verè, & subtiliter expendit Pinellus in l. si viva matre, num. 27. per totum, & num. 29. in fine, C. de bonis maternis. Burgos de Paz in cons. 29. n. 23. §. 24. & tollunt vim duarum rationum, quas ponderavit Peregrinus; quæ in effectu sunt præcipuæ, in quibus sequaces faciunt totum fundamentum,

& ut alia prætermittam, nonnulla dicam, quæ hac in re longius insistent; non sine ratione, & fundamento adnotavi. Ac in primis, durissimum mihi videri, fateri Peregrinum (quod & sequaces hujus partis fatentur) foeminam ex masculo natam, dici de descendibus virilis sexus, & ex linea masculina, vel per lineam masculinam; & hoc antea concessio, postmodum excludere eam à fideicommissis, à quibus expressè exclusa non est per testatorem, nec etiam à jure, sed potius ex vi verborum, & dispositione legis, juxta proprietatem ipsorum verborum admittit: à qua non ita facile recedi potest, ut periculosè divinando recedatur à decisione l. lege duodecimi tabularum, C. de legitimis hereditibus, §. caterum, Institut. de legitima agnatorum successione. Nec sufficit conjectura, quam verba testatoris non modò non juvant, sed excludunt aperte, si verum est, foeminam, quæ à masculo descendit, per lineam masculinam videri descendere; nec simpliciter dici posse, esse caput lineæ foemininæ, ut optimè advertit Camillus Gallinius loco relato supra num. 7. in fine. eruditè Angelus Matheacius de legatis §. fideicommissis lib. 3. quest. 11. num. 10. & fortius probat num. 16. vers. ego vero, qui, ut antea dicebam, Peregrini resolutioni contrarius existit, sed non refert eum; & in finalibus verbis dictæ quæstionis resolvit dicens: Quòd in tam egregia quæstione consultus erit substitutionis, verborumque formulas apprimè perpendere: hinc enim varium posset emanare jus; nam si descendentes nomine agnationis vocati fuerint, utique foemina cum sit agnata, erit etiam vocata: at si nomine descendentium masculorum fuerint invitati, tunc in dubiis duo erunt perpendenda; primum, quòd sit masculus; secundum, quòd ex masculo proveniat, idque maxime, quando testator animum applicuit ad vocandos masculos, & propellendas foeminas: denique si fideicommissum relictum fuerit descendibus de hærede in hæredem, nascituris de domo, de familia, de agnatione, de progenie, & similibus; ad hoc etiam foemina erit admittenda, quoniam agnata, quoniam de domo: & progenie, quousque tamen vixerit, ita ut post ejus mortem exclusis filiis suis, uti cognatis, hæredis restituantur proximioribus de domo, de stirpe, & de agnatione: & hæcenus prædictus Author, qui firmat pluries hoc consuluisset Parisium, & numeris præcedentibus latè, & utiliter explicat Castrensis doctrinam in l. maritum, C. de procuratoribus. si accipiens emphyteusim pro se, & descendibus per lineam masculinam, decedat relicta filia foemina, utrum ipsa succedat in emphyteusi? in qua etiam omnes Authores tractarunt, quos retuli supra in initio hujus capituli, & latè Avendannus, Caldas, Peregrinus, & alii ibidem adducti, & verè, cum expressè, vel tacitè, legitimis tamen atque probatis conjecturis non apparet, agnationem suam conservare voluisse testatorem; huic opinioni magis ego accederem in fideicommissis, in quibus magis communiter sic tenent Deactores; nec in eis dubitarunt Molina, Avendannus, & alii hujus regni Scriptores. Sed potius probasse videntur indistinctè sententiam Glossæ in dict. §. nunc de lege Velleia. dubium dumtaxat habentes in primogeniis Hispanorum, idque propter ipsorum naturam, ut constat ex eodem Molina de Hispanorum primogeniis lib. 1. cap. 6. num. 37. Alii verò, qui in fideicommissis contra tenent, aperte supponunt, procedere id, prout explicavimus nunc, videlicet quando testator agnationis conservandæ rationem præ oculis habuisset: & Castrensis doctrinam eò modò referunt, quando scilicet intentio concedentis emphyteusim fuit, quòd ea non transiret ad cognatos, quo casu excludunt foeminam per lineam masculinam descendentem, quam aliàs non excluderent, & cum Gregorio Lopez, sic intelligit Velasquez de Avendanno, in l. 40. Tauri, dict. Gloss. 9. num. 62. In majoratibus verò, an idem, diversumve jus constituendum sit; videbimus nunc: & Molina ubi supra, lib. 1. cap. 6. num. 38. §. lib. 3. cap. 5. num. 69. constantè tuerit, foeminam per lineam masculinam descendentem, non compre-

comprehendi in Hispanorum primogeniis, quibus vocantur ii, qui per lineam masculinam descendunt, & cum illo simpliciter transit Alvaradus de conjecturata mente defuncti lib. 2. cap. 3. §. 4. num. 25. fol. 111. Et quidem, cum instituens majoratum, agnationem suam conservare voluit, aut semper agnatos masculos vocavit, foeminae etiam propter masculos remotiores exclusit, res erit indubitata, tum ex his, quæ in fideicommissis superius diximus, quæ in Hispanorum primogeniis, aut vinculis urgentiùs militat: tum etiam ex ratione, quam adducit Molina, quæ in hoc casu concludenter est; videlicet, quòd agnatione considerata, non debeat censerì vocata foemina, & sicca persona; quæ agnationem in posterum frustrare debet, & cujus descendentes, sive masculi, sive foeminae sint, in eo primogenio succedere non possunt: & in hoc casu foeminas semper exclusas censerì ex vocatione descendentium per lineam, vel ex linea masculina, rectè defendit Avendannus dicta Gloss. 9. num. 64. & in fortioribus terminis tenuerunt Simon de Præis, & Peregrinus; ille, de interpretat. ultimarum voluntatum, lib. 3. solut. 11. num. 54. fol. 154. iste, de fideicommissis, art. 26. num. 30. quorum rationes mirè conveniunt huic resolutioni, nec licet eas transcribere, aut repetere hic.

19 An verò ex sola primogeniorum natura & perpetuitate simpliciter sumpta, absque eo quod constitit primogenii institutorem voluisse agnationem conservare, foeminae censentur exclusæ, cum descendentes per lineam masculinam, vel ex linea masculina vocantur, difficultus est? Et exclusas non censeri ex hoc solum, nisi agnationis conservandæ ratio interveniat, secunde admittit Avendannus in l. 40. Tauri, Glossa 9. num. 63. & 64. & contrariam sententiam Molinæ lib. 1. cap. 6. num. 38. veram non existimat; & dicit, quòd ipse Molina se ipsum explicat lib. 3. cap. 5. num. 69. ita intelligens, quòd dixerat dict. cap. 6. num. 38. lib. 2. in quo quidem decipitur Avendannus: potius enim Molina ipse eandem sententiam probavit ibi. dicit namque absque difficultate procedere eam, cum institutor majoratus, agnationem conservare voluit, vel masculos perpetuo vocavit, aut foeminas propter masculos remotiores exclusit. Postmodum subdit hæc verba: Quamvis mihi ex primogeniorum natura semper etiam simpliciter sumpta probabilis visa fuerit. Tantum ergo abest, ut sententiam, quam dict. cap. 6. §. 38. lib. 1. habuit Molina, lib. 3. dict. cap. 5. num. 69. mutaverit, aut se ipsum declarare voluerit, ut potius iterum firmaverit eam, ac indistinctè ex primogeniorum natura, etiam simpliciter sumpta, probabilem crediderit. Mihi tamen in hoc casu Molinæ sententia nunquam placere potuit, & sic contrariam admitto libentius, & ultra Avendannum ac sic tenendum, sequentes me movent præcipuæ rationes.

Primo, nonnullæ, quas in fideicommissis loquens, contra Peregrinum adduxi supra numeris præcedentibus, quæ æqualiter militant, & sententiam Molinæ concludenter convincunt.

21 Secundo, nam ejusdem Authoris ratio, non militat in hoc casu, sicut in superiori; propterea quod, etsi majoratus perveniat ad foeminam per lineam masculinam descendentem, non potest dici, quòd supprimatur in posterum agnatio, ad quam instituens majoratum non respexit, aliquid exprimendo, quò agnationem conservare voluisse dignosci possit: nec est inconveniens, quòd ejus descendentes sive, masculi sint, sive foeminae, in eo majoratu succedere non possint, cum eà mortuà; ac filiis ejus masculis, & foeminis exclusis, ii admittantur ad successorem, qui ex institutoris, aut legis dispositione admitti debent, prout dixi Albertus Brunus de statu. exclud. femin. propter masculos, art. 6. 2. mem. 3. quest. & cum judicio consideravit Angelus Matheacius, de legatis, §. fideicommissis, lib. 3. quest. 11. num. 18. sic, ut primogeniorum natura, ac illorum perpetuitas (ad quam principaliter respexit Molina) in nullo alteretur in hoc casu, quippe, cum majoratus ipse

22

perpetuus semper futurus sit, quamvis diversis modis succedatur in eo, ac de una linea in proposita specie transitus fiat ad aliam, antequam omnes de illa linea finiantur, quòd ex voluntate institutoris contingere potest: at in nostro casu satis videtur de voluntate institutoris constare, vocavit enim descendentes per lineam masculinam; qua vocatione, juris, aut legis dispositioni se conformare voluisse censendus est, ex vulgatis principii. Sed juxta dispositionem juris, & proprietatem verborum, sub vocatione modo prædicto concepta, foeminae ex masculis descendentes continentur; ut in initio hujus capituli diximus, & probat text. qui (ut statim dicam) cavillari non potest, in l. jubemus, C. de emancipationibus liberorum. ergo majus inconveniens esset, excludere foeminam ex voluntate institutoris, & proprietate verborum in dispositione comprehensam, propterea quòd ejus descendentes admitti non possunt, quam admittà eà, ad alios consanguineos, vel ad aliam lineam majoratum transire, cum adhuc ipse majoratus perpetuus remaneat, nec in posterum aliquid perpetuitati ejusdem detrahatur, ex eo quòd admittatur foemina, quæ saltem exclusa non est, quòd negari non potest.

Tertio, quia secunda non est, nec verè concludit Rulni resolutio in cons. 208. num. 7. lib. 1. qua etiam principaliter movetur Molina de Hispanorum primogeniis, lib. 1. dict. cap. 6. num. 38. ad finem. in proposito casu, dumtaxat considerandum esse, utrum dispositio finiatur in ipso descendente ex virili sexu, & tunc foemina comprehendatur; an verò ad alios descendentes pertransire debeat, & tunc sicut descendentes ex foemina excluduntur, ita & ipsa foemina excludi debeat; quomodo etiam ex mente aliorum sequacium argumentatur Peregrinus de fideicommissis, dicto art. 26. n. 30. quòd cum descendentes ex foeminis excludantur, efficax videtur secundum eum insurgere ratio, ut etiam foemina illorum auctrix excludatur. Sed quidem verè, ne is Authores, ac cum illis Molina, errore lapsi fuerint: propterea quòd non subsistit argumentum, nec etiam valet consequentia, ut exclusis descendentes pertransire debeat, & tunc sicut descendentes ex foemina excludantur, ita & ipsa foemina excludi debeat; ut contra Castrensem optimè consideravit Pinellus in l. si viva matre, num. 29. §. 30. C. de bonis maternis. dicens quòd aptior est argumentatio, ut exclusa filia excludantur descendentes ex ea, non è converso: & ultra ipsum ratio differentiae in proposito nostro patet ad oculos, nam descendentes ex filia foemina sunt exclusi, ex quo per lineam foeminam descendunt, & tantum vocantur ii, qui descendunt per lineam masculinam: filia autem foemina per lineam masculinam descendit, & sub prædicta vocatione continetur, ut defendit Camillus Gallinius de verborum significatione, lib. 8. cap. 26. ex num. 4. Idcirco admitti debet pro tempore vitæ suæ, quamvis ejus descendentes excludantur: idque ex voluntate testatoris (ut supra diximus) ex qua, & legis dispositione, maxima datur inter unum, & alterum casum differentia: quidquid in contrarium concedat Molina; qui tamen dict. cap. 6. num. 38. lib. 1. rectè advertit, in proposito casu nihil interesse, an institutor majoratus vocaverit descendentes per lineam masculinam, vel ex linea masculina: verè namque inter hæc verba nulla differentia est; quicquid Socius, & nonnulli alii differentiam constituent in dict. §. nunc de lege Velleia & cum Alciato, Mantica, de conjecturis ultimarum voluntatum, lib. 8. tit. 11. num. 8. fol. 154. Menochium in cons. 205. ex n. 39. cum seqq. lib. 3. Rectius post alios eam differentiam rejiciunt inter hæc verba Avendannus in dict. l. 40. Tauri, Gloss. 9. n. 60. Peregrinus de fideicommissis, dict. art. 26. num. 30. in princ. pro quibus contra Socinum considero textum, quem nullus prædictorum expendit, in l. jubemus, C. de emancipationibus liberorum, ubi in hunc modum scribitur: Jubemus licere parentibus, id est, patri, avo paterno, seu proavo, ceterisque ulterius per masculini sexus personas, continua generis serie conjunctis, si liberos quos habent in potestate propria, id est, filium, vel filiam, nepotem, seu